



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

494. An pensio imponenda sit in collatione beneficij, an post illam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ut is commodius alatur in studiis) adjicitur decretum nullitatis reservationis in eventum non facta verè ac realiter integrè solutionis, remissio & diminutio pensionis facta per pensionarium titulari non habet locum: siquidem pensionarius nec minimam partem talis pensionis titulari remittere potest, sed tenetur eam integrè solvere titularis; quia dictum illud decretum ad amissum servandum sine alia interpretatione aut alteratione, sub poena nullitatis ipso jure.

*Quaestio 493. An interea, dum petitur reductio, suspendatur executio?*

**R**espondeo negativè; dum nimirum pensionarius est in possessione percipiendi pensionem. Card. de Luc. de pens. d. 11. n. 3. ubi: quòd, donec causa petitorii terminetur per rem judicatam, vel tres conformes, tali existenti in quasi possessione exigendi pensionem denegari nequeat solutio. Lott. l. 1. q. 38. n. 73. ubi ait: satis operatur quasi possessio in hoc, quòd, dum lis durat, non retardatur solutio sub prae-textu, quòd non sit probatum; nec attendatur sententia, à qua sit appellatum; nec quòd agatur contra eum, qui consensit expressè, sed contra successores. Item l. 1. q. 42. n. 56. ubi: quòd solutio non suspendatur, interim dum agitur de reducenda pensione, tam cum prætenditur ob supervenientem diminutionem fructuum, quam cum prætenditur defectus abinitio ob expressum fallum valorem.

#### De modo imponendi pensionem.

*Quaestio 494. An pensio imponenda sit in collatione beneficii, an post illam?*

**R**espondet Azor p. 2. l. 8. c. 8. q. 4. usu servari, quòd pensio utroque modo imponatur, quamvis prior modus eam imponendi sit frequentior. Si verò imponatur secundo modo, id non fieri sine ejus, cui collatum beneficium, consensu; quia is jam jus habet in beneficio, & ab initio integros fructus, seu potius jus ad illos accepit, adeoque ad hoc, ut fructus hi immineantur, opus sit ejus consensu. Observandum tamen, ut tradit Laym. in c. cum clerici. de pactis. n. 2. nimirum quòd auctio pensionis (quam facere posse episcopum ait cum consensu Capituli ob rationabilem causam, dum majores nunc quam ante ex beneficio proventus veniunt) & omnis impositio pensionis (intellige faciendam ab Episcopo) fieri debeat ante collationem beneficii; eò quòd, si in ipsa collatione fiat, periculum sit pravitate simoniacæ, quando pensionis solutio in commodum collatoris directè vel indirectè cedit.

*Quaestio 495. Qua forma seu praxis reservationis pensionis tam beneficio pleno, quam vacante?*

**R**espondeo ad primum: Beneficio pleno reservari consuevit pensio de consensu titularis illud possidentis (unde & pensio de consensu, & ex causa lucrativa vocatur) exigitur autem causa urgens, & ad tollendas imposturas adjicitur decretum, ut nisi per titularem pensio solvatur statim temporibus, gratia sit ipso jure nulla. Lott. l. 1. q. 41. n. 17. Porro decretum hoc summo studio à Dataria excogitatum ad occurrendum fraudibus,

dum compertum, tales pensiones ut plurimum fieri in fraudem, & ferè semper pro fraudulentis habitas à Dataria; reservabantur enim communiter tales pensiones consanguineis & amicis titularium, qui libenter hujusmodi reservationi consentiebant, non tamen, ut ipsi in vita sua eam solverent, sed ut successores eorum in tali beneficio eam solverent; vel etiam, licet titularis praestitisset consensum ad hoc, nec non supplicatio signata, litera tamen Apostolicæ super dicta reservatione non expedirentur, nisi mortuo titulari, qui consenserat, vel quando is crederetur de proximo moriturus. Unde hoc modo beneficia reperiebantur gravata pensionibus, quæ à titulari successore ignoiebantur. Corrad. pr. benef. l. 5. c. 3. n. 10. juncto n. 6. qui etiam n. 13. addit, hinc optimo jure styllum Curia obtinere, ut in vim prædicti decreti hujusmodi solutiones integrè facta probari nequeant, nisi per instrumenta publica cum subscriptione Notarii publici, & duorum testium saltem afferentium, se vidisse pensionario à titulari solvi pensionem; nec suffragari quamcumque pensionem de recepta & soluta pensione propter collusionis suspicionem. De quo vide eundem Corrad. pluribus num. seq. uti & Card. de Luc. de pens. d. 8. à n. 3. Porro formulam tam supplicationis offerenda Papæ pro obtinenda hac reservatione pensionis, quam literarum similis reservationis secundum Cancellariæ Apostolicæ styllum subjicit Corrad. loc. cit. n. 1. & 2.

**2.** Respondeo ad secundum: Dum Papæ reservat pensionem super fructibus vacantis beneficii, ante omnia contemplatur vacationis factum certum, tam ex persona, quam ex modo sibi subjectis. Unde, si nulla hujusmodi seu diversa sit vacatio, intrat defectus intentionis Papæ ex defectu causæ, & gratia est nulla ipso jure, neque ullo temporis tractu convallescit. Lott. loc. cit. n. 18. citans Veralla decis. 298. à n. 1. p. 2. Dein contemplatur certam personam, cui reservat, qualitatem; non enim consuevit pensiones Ecclesiasticas reservare aliis quam personis itidem Ecclesiasticis, de quo inferius copiosius. Et hinc, si Papæ fuerit suggestus clericatus, vel status regularis illius, cui reservat, secus ac res se habet, censetur quoque deficere ejus intentio, & ex hoc defectu gratia est nulla, neque ex superveniente qualitate convallescit, neque reparatio communis in contrarium attenditur. Lott. à n. 19. subjungens n. 21. idem fore, si persona quidè esset Ecclesiastica, sed diverso modo ab expresso, veluti quia regularis expressisset se clericum, & Papæ existimans esse clericum seculares, reservaret ei pensionem super beneficio seculari. Ac denique attenditur ab eo quantitas reddituum beneficii gravandi pensionem, ut congrua titulari deturmetur, seu determinata à jure servetur illata, ita ut, cum reservatur pensio, perpetuò supponatur, ultra congruam titularis superesse fructus, qui possint pensione gravari: ac ideo, si nulli existent fructus, nihil quoque actum censetur ex eodem intentionis defectu. Lott. n. 22. Atque ita, ex his tribus efformatur intentio Papæ, secundam quam tota disputatio regulanda, dum prætenditur nullitas pensionis à principio. Lott. n. 16. De cetero, qua praxis sit reservationis pensionis ex causa resignationis, quæ vocatur ad distinctionem præcedentium: resignatio ex causa onerosa, præcipue cum regressu ad beneficium, tum constat ex dictis, tum constabit ex dicendis.